

DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS REFLEXIONES

SUMMARIUM: Ad indolem Conferentiarum episcoporum profundius investigandam, 1. Post considerationem earum exercitii collegialitatis affectivae et effectivae, partialis quidem et utriusque aspectus theologici necnon iuridici, 2. Conferentiae comparantur cum Patriarchatibus, unde non apparent sicut illi structurae intermediae inter Ecclesiam universam et Ecclesias particulares. Deinde 3. cum Conciliis particularibus, ratione exercitii ministerii episcopalis, nec in illis non episcopi partem habent; praeterea, aliter ac Concilium particulare, est institutum permanens, in quo communio inter episcopos actuatur partialis nec immediate inter ecclesias. 4. Consideratur dein Conferentia in relatione ad regionem ecclesiasticam. 5. Atque ad Conferentiarum munera pastoralia attenditur, quae sunt non omnia Episcopi singuli, sed quaedam quae opportunius considerantur coniunctim. Necnon 6. quid dicendum de exercitio «coniunctim» munerum et potestatum, et quidem in specie 7. de exercitio potestatis regiminis, decretis generalibus, in tributis a iure vel mandato apostolico. 8. et potestatis magisterii authentici, quem habent, sed cuius exercitium etiam deberet subici approbationi S. Apostolicae.

1. Episcoporum collegialitas

Episcoporum Conferentiae praecipuum fundamentum ecclesilogicum est communio Episcoporum, id est ministerii episcopalis dimensio collegialis.

Episcoporum ministerium singulatim considerandum non est, sed in relatione ad totum Collegium Episcopale, quod Collegio Apostolorum succedit¹.

¹ Cf. J. HAMER, «La responsabilité collégiale de chaque évêque», in «Nouvelle Revue Théologique», 105 (1983) 644.

Apostoli, ut AG affirmat, fuerunt novi Israel germina simulque sacrae hierarchiae origo. Hoc significat in Collegio Apostolorum atque in Collegio Episcoporum, Ecclesiae structuram essentialem comprehendendi. Ecclesia, enim, declarat LG 19, a Domino in Apostolis condita est et supra beatum Petrum, eorum principem aedificata est, ipso summo angulari lapide Cristo Iesu. Quia Romanus Pontifex Petro et Episcopi Apostolis succedunt, Romanus Pontifex et Episcopi unum Collegium efformant, quod, quatenus ex multis compositum, varietatem et universalitatem populi Dei, quatenus vero sub uno Capite collectum, unitatem gregis Christi exprimit (LG 22a.b). Constitutio hierarchica Ecclesiae, ab ipso Christo intenta, ut IOANNES PAULUS II in sua Const. ap. «*Pastor Bonus*» enuntiat, est collegialis simul et primatialis². Hoc modo Collegium Episcopale, una cum Capite suo et numquam sine eo, est plena manifestatio et verum instrumentum communionis inter Ecclesias; quae communio Ecclesiam universam constituit et tamquam centrum Romanam Ecclesiam habet, cuius Episcopus est Collegii Caput.

Numquam Concilium verbo «collegialitas» utitur, sed agit de *unione collegiali*, quae in mutuis relationibus singulorum Episcoporum cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaeque universali apparet, ita ut omnes Episcopi simul cum Romano Pontifice totam Ecclesiam repraesentent in vinculo pacis, amoris et unitatis (LG 23a). Concilium agit etiam de *communione fraternae caritatis*, quae Episcopos impellit ut vires et voluntates suas consociant ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum (CD 36a). Ex hac fluit sollicitudo pro universa Eccle-

² Cf. AAS 80 (1988) 842-843.

sia et aliis Ecclesiis particularibus, qua omnis Episcopus ex Christi institutione et praecepto tenetur (LG 23b.c; CD 3; 5; 6a). Bis Concilium alludit ad *affectum collegialem*: eiusdem Episcoporum Conferentiae est concreta applicatio (LG 23d); propter eundem activitatem missionalis exercetur (AG 6f). NEP 4 distinguit inter Collegium, quod semper existit, et *actionem stricte collegialem*, per intervalla positam a Collegio, quod, consentiente Capite, in ea supremam et plenam potestatem in universam Ecclesiam exercet (LG 22b; CD 4; cf. c. 336). Concilium non explicat relationem inter hanc actionem collegialem «stricte» dictam, quatenus exercitium potestatis totius Collegii suo Capiti uniti implicat, et alias formas actionis collegialis, quae «partiales» appellari possunt, eo quod sunt actiones aliquorum Collegii membrorum in coetu congregatorum sine directa interventione eiusdem Collegii capitis, in quibus, ideo, non exercetur potestas qua Collegium tantum in sua totalitate gaudet.

Fundamentum sacramentale-ontologicum et ecclesiologicum-structurale *affectus collegialis* seu *collegialitatis affectivae*, inter Episcopos atque inter eos et Romanum Pontificem vigentis, communi consecratione episcopali (communione sacramentali) et hierarchica communionem datur³. Ex affectu collegiali Episcoporum sollicitudo pro aliis Ecclesiis particularibus

³ Membrum Collegii Episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communionem cum Collegio Capite atque membris (LG 22; c. 336). Ambo elementa pariter necessaria sunt (cf. *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Vaticani Secundi*, Typ. Pol. Vat. 1970-1980, III/1, 242-243): consecratio in successionis apostolicae plenitudinem immittit, quae, tamen, sub respectu ecclesiologico tantum in hierarchica communionem omnino manifestatur.

et pro universa Ecclesia fluit (LG 23b.c; CD 3; 5; 6a). Affectus collegialis actuatur atque exprimitur iuxta varios gradus, differentibus formis, etiam institutionalizatis, — Episcoporum Synodo, Conciliis particularibus, Conferentiis Episcoporum, Curia Romana, visitationibus «ad limina», cooperatione missionali, etc. (LG 22a; 23; AG 6f)⁴, — sed plene tantum per strictam actionem collegialem, per actionem, scilicet, omnium Episcoporum una cum eorum Capite qua potestatem plenam et supremam in universam Ecclesiam ipsi exercent (LG 22b)⁵. Natura collegialis ministerii apostolici de iure divino est, ideoque collegialitas affectiva seu affectus collegialis, ut *communio Episcoporum*, inter Episcopos continuo viget et tantum in aliquibus actibus tamquam *collegialitas effectiva* exprimitur. Omnes formae actuationis collegialitatis affectivae in collegialitate effectiva de iure ecclesiastico sunt, sed differentibus gradis ad concretam applicationem perducunt postulatum iuris divini ut Episcopus modo collegiali sese exprimat (LG 22a). In sua allocutione diei 29 octobris 1987, VII exeunte coetu ordinario generali Synodi Episcoporum habita, IOANNES PAULUS II affirmabat «*synodalitatem effectivam*» (seu collegialitatem effectivam) in Synodo expertam, sic per analogiam relate ad plenitudinem suae actuationis definiri posse; etsi haec plenitudo in actio-

⁴ Cf. SYNODUS EXTR. EPISC. 1985, Rel. Fin. *Exeunte coetu*, II.C.4, Città del Vaticano 1985, 13-14; *Enchiridion Vaticanum* (= EV) 9/1803-1804.

⁵ SYNODUS EXTR. EPISC. 1969, Rel. dottr. «*Elapso Oecumenico Concilio*», capp. II-III, in EV 3/1665-1682; Rel. «*Nunc nobis*», cap. III, in EV 3/1713-1720. SYNODUS EXTR. EPISC. 1985, Rel. fin. «*Exeunte coetu*», II.C.4, Città del Vaticano 1985, 13-14; EV 9/1803-1804; IOANNES PAULUS II, Const. Ap. «*Pastor Bonus*», *Adnexum* I, 4, in AAS 80 (1989) 914-915.

ne stricte collegiali tantum habeatur, tamen eiusdem vim internam prolongari et continuari in posterum tempus tamquam «*synodalitatem affectivam*», quia inter Episcopos synodalitas seu collegialitas affectiva (*affectus collegialis*) vigere pergit⁶. Iuxta *Adnexum I* Const. Ap. «*Pastor Bonus*» ministerii Episcopalis propria est «*conformatio collegialis*», quae affectum collegialem constituit, munere tum Episcoporum tum Romani Pontificis firmatum; qui affectus, cum ad unitatem in varietate impellat, in coetus et Conferentias Episcoporum efflorescit⁷. Claritate caret, e contra, *Relatio finalis* Synodi Extraordinarii Episcoporum anni 1985, II.C.4.⁸, cum affirmat ecclesiologiam communionis afferre fundamentum sacramentale collegialitatis, quia videretur ignorare communionem praeter dimensionem sacramentalem, etiam dimensionem iuridicam habere (*NEP* 2). Nisi in hac affirmatione, meo iudicio, parvae diligentiae, *Relatio* distinguit inter affectum collegialem et «*collegialitatem effectivam solummodo iuridice intellectam*», tamquam si affectus collegialis et collegialitas effectiva duae realitates diversae indolis essent. Sicut affectus collegialis non tantum dimensionem spiritualem invisibilem habet, sed etiam iuridicam quatenus non solum in consecratione episcopali fundatur sed etiam in hierarchica communione uniuscuiusque Episcopi cum Collegii Capite atque membris, ita collegialitas effectiva sensu tantum iuridico intelligi non potest, quia haec, tamquam affectus collegialis concreta actuatio, in omnibus suis gradibus, eadem duplici structura sacramentali et iuridica gaudet. Praeterea *Relatio* obscura

⁶ AAS 80 (1988) 610.

⁷ Cf. *ibid.*, 915-916.

⁸ Cf. EV 9/1803.

manet cum distinguat inter *actionem collegialem in sensu stricto*, quae videretur identificari cum collegialitate qua tali («*sensu stricto sumpta*»), et varias «realizationes partiales», quae dicuntur vere esse signum et instrumentum affectus collegialis. Clare non patet utrum iuxta *Relationem* collegialitas sensu stricto sumpta et realizationes partiales affectus collegialis idem fundamentum habeant an non.

Etsi in variis documentis doctrina non sit una, tamen tenenda est distinctio inter actionem collegialem sensu stricto intellectam totius Collegii et alias actiones in quibus modo collegiali coetus Episcoporum actuant. Etenim, gradus supremus actuationis collegialitatis affectivae habetur in Concilio oecumenico et per unitam Episcoporum in mundo dispersorum actionem (LG 22b; c. 337, §§ 1, 2); gradus medii et subordinati dantur in aliis coetibus Episcoporum, inter quos Conferentiae Episcoporum comprehenduntur. Gradus supremus considerandus est etiam unicus eo sensu quod tantum in eo Collegium quae tale, una cum Capite suo immediate agente, exercet potestatem plenam et supremam in universam Ecclesiam; alii modi huius potestatis exercitii non agnoscuntur. De potestate, quae modo collegiali exercetur in aliis gradibus actuationis collegialitatis affectivae, praesertim in Episcoporum Conferentiis, infra agemus.

2. Episcoporum Conferentiae et Patriarchatus

Concilium in fine LG 23d levem mentionem Episcoporum Conferentiarum inchoat, cum eas sub locutione generali «*coetuum episcopalium*» comprehendat. Cum Ecclesia universa, communionem inter omnes Ecclesias particulares constituatur et Episcopi

unius Collegii membra sint (LG 23a.b), sollicitudo cuiusque Episcopi pro tota Ecclesia (b) et pro aliis Ecclesiis particularibus, praesertim vicinioribus, — mutua collaboratione et fraterno adiutorio manifestata, — propter Divinae Providentiae consilium decursu temporum concretam actionem habet in pluribus Ecclesiarum particularium coetibus, organice coniunctis, ut Patriarchatibus (d). Clare patet Concilium non docere hos Ecclesiarum coetus iuris divini esse, tamen dicendum est eosdem cum natura Ecclesiae et iure divino congruere⁹. In hoc contextu mentio fit «*coetuum episcopaliū*», inter quos comprehendendae sunt etiam Episcoporum Conferentiae (LG 23d), quae «*hodie multiplicem atque secundam opem conferre possunt, ut collegialis affectus ad concretam applicationem perducatur*». Textus conciliaris inter hos coetus episcopales et Patriarchatus analogiam statuit, inter Episcoporum Conferentias, igitur, et Patriarchatus. Contentum analogiae imprimis dilucidandum est. De Patriarchatibus textus conciliaris ut dioecesium coetibus tantum administrativis non agitur, quia de eis tractat in contextu unionis collegialis, — quae in relationibus cuiusque Episcopi cum aliis Ecclesiis particularibus cumque Ecclesia universa manifesta-

⁹ Relatio de n. 23 Const. *Lumen Gentium* affirmat: «(N) Additur haec nova pericopa de coniunctione plurium dioecesium in uno coetu organice constituto, ad indicandum factum historicum peculiaris rationis inter Ecclesias, quae communem habent originem, unde oritur arcta unio inter Episcopos illarum Ecclesiarum sub forma Patriarchatus, ut iam antiquitus praesertim in Oriente. Compara formam Coetuum Episcopaliū hodie in Occidente. Quod si tale factum in contextu collegialitatis episcopalis consideretur, eiusdem indoles et momentum theologicum melius illustrantur...» (cf. Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Vaticani Secundi, Typ. Pol. Vat., 1970-1980, III/1, 249).

tur, — in contextu, igitur, affectus collegialis concretionis¹⁰. Inter Patriarchatus et Episcoporum Conferentias analogia relate ad Episcoporum collegialitatem potius viget quam relate ad Ecclesiarum coetum, etsi in collegialitate communio inter Ecclesias, quibus Episcopi praesunt, implicetur. In omni analogia, deinde, ipsa similitudo inter analogata dissimilitudinem postulat. Quoad Patriarchatus, causa praecipua plurium Ecclesiarum particularium unionis in eo consistit quod una ex eis est veluti matrix fidei pro aliis, ita ut, nisae in vinculis culturalibus et historicis, omnes uniuntur communi disciplina, liturgico uso, theologico spiritualique patrimonio; in iis exercetur Episcoporum collegialitas. Quia Patriarchatus est imprimis communio inter Ecclesias, ex quibus una, cum matrix fidei pro aliis esset, munusque exerceat centri unitatis eiusdem Patriarchatus, Patriarcha veram potestatem erga alios Episcopos et Ecclesias exercet. Episcoporum Conferentiae, e contra, neque sunt imprimis coetus Ecclesiarum, neque alia ex parte in eis uni ex Ecclesiis peculiare praerogativae agnoscuntur. Conferentiae nituntur in dimensione collegiali ministerii Episcoporum, qui, sub hoc respectu sunt omnes pares. Quare Episcoporum Conferentiis non praest pastor, qui sit centrum unitatis Episcoporum et potestatem erga eos exerceat. Episcoporum Conferentiae praeses est primus inter pares (cc. 452; 455 § 4). Ita intelligitur cur Concilium, dum Ecclesias particulares (*LG* 13c; *OE* 2; 3; 4; 16; 17; 19; *UR* 14a; *AG* 22b) vel locales (*LG* 23d; *UR* 14a) Patriarchatus appellat, numquam hunc titulum Episcoporum Conferentiis tribuit. Propter omnes rationes

¹⁰ Ad hoc *Relatio* de n. 23 Const. *Lumen Gentium* alludebat (cf. notam praecedentem).

expositas, mihi videtur analogiam inter Patriarchatum et Episcoporum Conferentiam intelligendam non esse, ut nonnulli auctores faciunt, eo pacto ut etiam Episcoporum Conferentia consideretur structura inter Ecclesiam universam et Ecclesiam particularem posita¹¹.

Hoc confirmatur Episcoporum Conferentiae definitione et valore iuridico Regioni ecclesiasticae in CIC 1983 agnito.

3. Episcoporum Conferentiae et Concilia particularia

CD 37 et 38 Episcoporum Conferentiae definitionem praebet et fines, munera, potestatem necnon eius exercitii modum determinat. Considerata ampla varietate opinionum, quae de Episcoporum Conferentiarum densitate theologica in disceptatione in aula conciliari habita est, Commissioni conciliari opportunum visum est earum fundamentum historicum et pastorale tantum describere¹². Hoc Commissio facit, postquam de Conciliis particularibus in n. 36 agit, ut expressione communionis fraternae caritatis inter Episcopos. Etsi in textu hoc expressis verbis, idem ac in LG 23d relate ad Patriarchatus, non fiat,

¹¹ Hanc thesim modo peculiari sustinet A. ANTON, *Conferencias Episcopales ¿Instancias intermedias?* — *El estado teológico de la cuestión*, Salamanca 1989.

¹² Cf. *Acta Synodalia...*, III/II, 53; G. FELICIANI, *Le Conferenze Episcopali*, Bologna 1974, 448-449; R. SOBANSKI, «Teología y estatuto jurídico de las Conferencias Episcopales en el Vaticano II», in AA.VV., «Naturaleza y futuro de las Conferencias Episcopales» *Actas del Coloquio Internacional de Salamanca*: 3-8 enero 1988 — curantibus H. LEGRAND, J. MARZANARES, A. GARCÍA Y GARCÍA), Salamanca 1988, 109; A. ANTON, *Conferencias Episcopales...* 101-102.

inter Episcoporum Conferentias et Concilia particularia analogiam statuere licet. Elementum similitudinis inter duo instituta consistit in dimensione collegiali ministerii episcopalis, quae tum in Conciliis particularibus tum in Episcoporum Conferentiis ad partialem concretam actionem deducitur. In hac analogia multo etiam clarius est relationem non statui quoad territorium ut ens ecclesiologicum et iuridicum constitutum, sed potius quoad realitatem ontologicam-sacramentalem et ecclesiologicam-structuralem, qua Episcopi inter se uniuntur et ad actionem communem compelluntur, pro bono Ecclesiarum, quibus praesunt. CD 37a, enim, sub respectu pastorali necessariam considerat arctiorem concordem atque coniunctiorem operam inter Episcopos, ut munus suum apte ac fructuose adimplere valeant¹³. Hac ratione Episcoporum Conferentiarum membra, aliter ac Conciliorum particularium, sunt soli Episcopi et alii pastores Episcopis dioecesanis in iure aequiparati, non vero, etiam omnium categoriarum fideles, provenientes ex variis Ecclesiis, quas Episcopi in Conferentia repraesentant (CD 38, 2; c. 450)¹⁴. Tamen, dimensio colle-

¹³ Iuxta hanc visionem rerum a Concilio Vaticano II, ad relationem inter Episcoporum Conferentiam et singulos Episcopos bene aptari potest principium subsidiarietatis.

¹⁴ Inter pastores in iure Episcopis dioecesanis aequiparati comprehendendi sunt ordinarius militaris seu castrensis (cf. Const. ap. «*Spirituali militum curae*», II, § 1, III, 21 apr. 1986, in AAS 78, 1986, 483) et administrator dioecesanus (cf. *Communicationes* 14, 1982, 197). Criterium fundamentale pro suffragio deliberativo in conventibus plenariis conferendo vel non, est immediata responsabilitas in gubernio pastoralis Ecclesiae particularis, etsi pastor sit presbyter. In Commissione CIC recognoscendo propositum est ut in conventibus plenariis admitterentur, suffragio tantum consultivo gaudentes, aliqui presbyteri, religiosi et laici ad peculiaria problemata tractanda, sed Commissio peti-

gialis ministerii episcopalis, ut Episcoporum Conferentiarum praecipuum fundamentum, tantum indirecte ducit ad communionem inter Ecclesias (c. 447), quae est alterum fundamentum ecclesiologicum Conciliorum particularium (cc. 439; 440, § 1). Praeterea dicendum est analogiam inter Concilia particularia et Episcoporum Conferentias, ob id ipsum quod de analogia agitur, duci non potest ad duo instituta inter ea identificanda, ita ut ad Conferentias momentum ecclesiale et munera Conciliorum tribuantur. Hoc non legitimatur eo quod sub respectu historico Concilia particularia, ut actuatio partialis dimensionis collegialis ministerii episcopalis atque expressio communionis inter Ecclesias, Episcoporum Conferentias antecesserunt, ita ut ad Conferentias melius intelligendas ad Concilia nos referre possumus; ne legitimatur quidem eo quod Episcoporum Conferentiae creverunt ut extenuationi et difficultati celebrationis Conciliorum particularium supplerent¹⁵. Communis radix ecclesio-

tionem reiecit (cf. *Communicationes* 12, 1980, 267) et «*Relatio*» pro Plenaria 1981, nisa in *Responso ad propositum dubium*, diei 30 nov. 1970, a Pontificia Commissione Decretis Concilii Vaticani II interpretandis (cf. AAS 62, 1970, 793), confirmabat: «*Conferentiae Episcoporum sunt coetus Episcoporum, et ideo "eadem ex Episcopis et viris ecclesiasticis in iure ipsis aequiparatis tantum constant"* (Resp. Pont. Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, 31-X-1970 [sic!]), *quapropter hoc in canone agi non potest de responsabilitate laicorum in Conferentia vel de iuribus inde provenientibus*» (cf. *Communicationes* 14, 1982, 200). Tamen *Responsum* de quo supra admittebat: «*presbyteri, religiosi et laici invitari possunt a Conferentia Episcopali, ad normam statutorum, singulis tamen in rebus et causis et cum voto consultivo tantum*». Quare concludi licet presbyteros, religiosos et laicos Episcoporum Conferentiarum membra esse nequire, sed Statuta Conferentiae posse eos, ratione peritiae in quaestionibus tractandis, cum suffragio tantum consultivo, singulis pro casibus, invitare.

logica inter duo intituta secum non fert identitatem naturae, munerum et auctoritatis, quae determinantur actuazione concreta in Ecclesiae vita et conformatione institutionali ab ipso legislatore determinata. Clare patet tum in Concilio tum in Codice Episcoporum Conferentias partes Conciliorum particularium non suscipere. CD 36b exoptat ut Concilia particularia novo vigeant robore.

In CD 38,1

«Episcoporum Conferentia veluti coetus in quo sacrorum Antistites cuiusdam nationis vel territorii munus suum pastorale coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum, presertim per apostolatus formas et rationes occurrentibus aetatis adiunctis apte compositas»

definitur. Legere debemus definitionem latam et finem determinatum in hoc textu in connexione cum eo quod in numero praecedenti dicitur. Iuxta CD 37a Conferentia considerata est congregatio ubi

«eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, statis temporibus simul convenientes, ut communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio».

Clare patet definitionem et munera Conferentiae in luce poni in relatione ad Episcoporum congregationem, ut *affectus collegialis* concretam applicationem (LG 23d), sed eo pacto ut per eam spiritus commu-

¹⁵ Quoad relationem historicam inter Episcoporum Conferentias et Concilia particularia, cf. A. GARCÍA Q GARCÍA, *Las Conferencias Episcopales a la luz de los Concilios particulares en el segundo milenio*, in AA.VV., *Naturaleza y futuro...*, 85-97.

nionis cum Ecclesia universali et diversarum Ecclesiarum particularium inter se egregie foveatur¹⁶. Finis Conferentiarum, qui ex earum ipsa natura fluit, ut Episcopi melius ministerium suum exerceant praecipue consultivus est¹⁷, sed nihil impedit ut, in casibus iure dumtaxat statutis et sub determinatis condicionibus, decisiones capere possint quae vim habeant pastores et fideles iuridice obligandi (CD 38,4; cf. c. 455, §§ 1, 2).

In c. 447 Codicis nonnulla elementa definitionis Episcoporum Conferentiae melius determinantur quam in CD 38, 1.

Imprimis Episcoporum Conferentia «*institutum permanens*» definitur, quatenus Conferentia legitime erecta personalitate iuridica ipso iure gaudet (c. 499 § 1), tamquam persona iuridica publicae naturae collegialis (c. 115 § 2) manet, etsi eius membra mutant: Episcoporum consilium permanens (c. 457), secretaria generalis permanens (c. 458), commissiones et alia officia permanentia (c. 451) constituuntur, etsi in actu pleno sit tantum cum conventus plenarius convocatur (c. 455), — cui intersunt soli Episcopi et pastores Episcopis dioecesanis iure aequiparatis (cc. 451; 454),

¹⁶ Cf. CONGR. PRO EPISCOPIS, Dir. past. «*Ecclesiae imago*», 22 febr. 1973, in EV 4/2311.

¹⁷ MONS. F. SEBASTIAN AGUILLAR, Secretarius Conferentiae Episcoporum Hispaniae, in Coloquio Internacional de Salamanca, 3-8 genn. 1988, affirmabat: «*No es preciso llegar a un acuerdo ni a la publicación de un documento, basta que los obispos hablen, se expresen libre y confiadamente, pongan en común sus experiencias, ideas, y preocupaciones; de esta manera se aclaran y estimulan para ejercer después cada uno su ministerio en la diócesis respectiva*» (cf. *La Conferencia y la diócesis. Valoración experimental* (Alocución de clausura), in AA.VV., *Naturaleza y futuro...* (supra nt. 12) 497).

— semel saltem singulis annis et quoties id postulent peculiaria adiuncta, secundum statutorum praescripta (c. 453). Sub hoc respectu Episcoporum Conferentia a Concilio particulari substantialiter discrepat. Concilium particulare, enim, non est institutum permanens, sed celebratur quoties id necessarium aut utile videatur (c. 439 § 1; 440 § 1). In eo habetur exercitium collegiale, extraordinarium et sollemne, potestatis qua Pastores gaudent in Ecclesiis eis concreditis, sed in arcta unione cum omnibus categoriis christifidelium earumdem Ecclesiarum, quae unio manifestatur participatione eorum repraesentantium ad Concilium convocatorum. In Concilio particulari, ideo, etsi modo partiali, immediate actuatur communio tum inter Episcopos, tum inter omnes fideles, tum inter Ecclesias. In Conferentia, e contra, habetur ministerii episcopalis exercitium collegiale seu coniunctum, quod modo partiali communionem inter Episcopos actuat, et in casibus determinatis exercitium potestatis, qua Episcopi tamquam pastores Ecclesiarum particularium gaudent, non vero modo extraordinario et sollemni. Praeterea in Episcoporum Conferentia plures Ecclesiae particulares ab Episcopis repraesentantur et earum communio partialiter manifestatur, at non immediate, quia in Conferentia aliae christifidelium categoriae non adsunt. Quare Episcoporum Conferentia est immediata partialis actuatio communionis inter Episcopos et tantum indirecta repraesentatio communionis fidelium et inter Ecclesias.

3. Episcoporum Conferentia et Regio ecclesiastica

Quod Episcoporum Conferentia, propter naturam suam, considerata est ut *coetus Episcoporum* et non imprimis *coetus Ecclesiarum*, structura scilicet

inter S. Sedem et singulas Ecclesias, confirmatur natura Regionis ecclesiasticae, quam in Codice invenimus.

Regio ecclesiastica est nova figura iuridica ad quam CD 40,3; 41; 24 et M.p. «*Ecclesiae Sanctae*», I, 42¹⁸ tantum alludunt. Vagus est c. 433 de regione ecclesiastica. Ex ipsa disceptatione in sede Commissionis eruitur regionem intelligi non posse eo sensu quod cum natione identificatur, tamquam substratum territoriale nationale Conferentiae Episcoporum¹⁹: plures regiones in uno territorio nationali esse possunt, vel regio ecclesiastica provincias ecclesiasticas, quae etiam in diversis nationibus sunt, amplecti potest²⁰. In schemate 1977 constitutio Regionis ecclesiasticae imponebatur, quia Regio considerabatur structura, ipso iure personalitate iuridica praedita, inter supremam auctoritatem et Episcopos posita (cf. cc. 185; 187 §§ 1-2)²¹. Ad fidelitatem erga mentem Concilii Vaticani II servandam atque ad periculum nationalismi vitandum Commissio reiecit hanc visionem rerum²². Ideo in c. 433 § 1 constitutio Regionum ecclesiasticarum non imponitur, et, iuxta § 2 eiusdem canonis, ubi constituuntur, aliter ac Provinciae ecclesiasticae (c. 432 § 2), ipso iure personalitate iuridica non gaudent, sed ea donari possunt. Praeterea, dum in schemate 1977 (c. 187 § 4) praevidebantur organa, quae in Regionem Ecclesiasticam potestate gauderent, Concilium scilicet regionale et Episcoporum

¹⁸ Cf. AAS 58 (1966) 774-775.

¹⁹ Cf. *Communicationes* 12 (1980) 246-252, spec. 249; 14 (1982) 187-188.

²⁰ Cf. Dir. past. «*Ecclesiae imago*, n. 211a, in EV 4/2313.

²¹ Cf. *Communicationes* 12 (1980) 246; 254.

²² Cf. *ibid.*, 246-247; 249; 250; 253.

Conferentia regionalis²³, in Codice promulgato, aliter ac pro Provinciis ecclesiasticis (c. 432 § 1), haec praevio deest. Textus mutatus est tum quia Regionis ecclesiasticae figura iuridica clara non apparebat, tum quia Commissio consulto vitavit ut Regio consideraretur territorium vel portio Ecclesiae, ubi Episcoporum Conferentia ut organum collegiale auctoritatem suam exerceret, utque instituerentur organa gubernii, quae Ecclesiarum particularium valorem et autonomiam necnon auctoritatem, qua Episcopi iure divino gaudent, limitarent et relationes immediatas inter S. Sedem et Ecclesias particulares difficiles redderent²⁴. Hac ratione c. 434 Regionis ecclesiasticae conventui Episcoporum tantum agnoscit potestates quae specialiter a S. Sede ei concessae fuerint, dum expressis verbis excludit hunc conventum potestatibus gaudere, quae a Codice Episcoporum Conferentiae tribuuntur²⁵.

Quia Regio ecclesiastica non est substratum Episcoporum Conferentiae, oportet ut haec ipso iure personalitate iuridica gaudeat (c. 449 § 2). Quod connectitur, iuxta verba Secretarii Commissionis, cum eo quod Conferentia est institutum permanens²⁶.

Putari nequit Legislatorem, cum laborem Commissionis suum fecisset, dum ex una parte nolisset Regionem ecclesiasticam ut structuram inter Eccle-

²³ Cf. *Communicationes* 12 (1980) 254.

²⁴ Cf. *ibid.*, 248; 263.

²⁵ Hic canon in schemate 1977 non inveniebatur, quia in eo arcta relatio inter Regionem ecclesiasticam et Episcoporum Conferentiam statuebatur. Remota hac relatione, ad confusionem cum Episcoporum Conferentia vitandam, opus fuit in Codicem promulgatum c. 434 introducere, quo statuitur modus coniunctus agendi ex parte Episcoporum eiusdem regionis.

²⁶ Cf. *Communicationes* 12 (1980) 263.

siam universalem et Ecclesias particulares positam instituere, simul, ex altera parte, sine fundamento in Concilio, talem structuram Episcoporum Conferentiam instituisse. Episcoporum Conferentia consideranda est institutum cui iure universali vel mandato peculiari Apostolicae Sedis de aliquibus materiis competentia tribuitur (c. 455 § 1; cf. CD 8a). Iuxta aliquos auctores ageretur potius de reservatione potestatis ad normam c. 381 § 1²⁷.

5. «Munera quaedam pastoralia»

Momentosa est mutatio textus CD 38,1 in c. 447. Dum in CD 38,1 dicitur in Episcoporum Conferentia Episcopos «*munus suum pastorale*» coniunctim exercere, in c. 447 affirmatur, in eadem, Episcopos «*munera quaedam pastoralia*» coniunctim exercere. Commissio unanimiter admisit emendationem c. 199 schematis 1977, sed in *Actis* non datur ratio²⁸, quae tamen faciliter deducitur. Textus conciliaris intelligi posset eo sensu quod modo exclusivo Episcopus omne munus suum pastorale una cum aliis Episcopis exercent; quod admitti non potest, quia gubernium ordinarium Ecclesiae particularis, idem ac Ecclesiae universae, personale est et non collegiale, etsi Episcopus continuo cum aliis Episcopis vi communionis coniungatur. Episcopus dioecesanus est personaliter et immediate sponsor curae pastoralis Ecclesiae ei concreditae (LG 27). Licet, igitur, cogitare Commissionem, ad ambiguitatem vitandam, prudentius et clarius deiudicasse textum CD 38,1 immutare, ita ut in luce ponatur

²⁷ Cf. H. MÜLLER, «La Conferencia Episcopal y el obispo diocesano», in AA.VV., *Naturaleza y futuro...* (supra nt. 12) 153.

²⁸ Cf. *Communicationes* 12 (1980) 264.

munus pastorale Episcopi amplius esse quam actionem coniunctam ab eo cum aliis Episcopis in Conferentia exercitatum. Hoc congruit cum eo quod, propter petitiones ex consultatione circa schema 1980 habitas, reductio habetur responsabilitatum quae in schematibus prioribus Episcoporum Conferentiis tribuebantur, in favorem competentiae singulorum Episcoporum, ut melius eluceat Episcoporum Conferentiarum natura consultiva²⁹. Tamen, si ex una parte

²⁹ Relator in Sessione Plenaria 1981 dicebat: «*Hoc factum est post consultationem, quia permulti id petiverunt quo magis extollatur auctoritas et potestas Episcopi dioecisani in propria Ecclesia particulari. Et merito quidem, quia Conferentia Episcoporum non intelligitur primarie ut coetus legislativus qui fere omnia centralizare debeat, sed est praesertim organum unionis et communicationis Episcoporum inter se, ita ut in regimine propriae dioecesis, unusquisque procedere valeat "communicatis prudentiae et experientiae luminibus collatisque consiliis"* (Decr. *Christus Dominus*, n. 37), et propterea in eodem Decreto conciliari statuitur decisiones Conferentiae vim iuridice obligandi habere "dumtaxat" in casibus expresse definitis (n. 38,4)»; praeterea: «*Concessio indiscriminata potestatis legislativae Conferentiis Episcoporum esset in detrimentum, non tantum auctoritatis Sanctae Sedis, sed etiam auctoritatis qua in sua cuiusque dioecesi singuli Episcopi dioecisani pollent, necnon contra mentem et verba Concilii Vaticani II* (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 38, § 4; M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 41)» (cf. *Communicationes* 14, 1982, 199).

Erroneum esset, in quem errorem nonnulli theologi et canonistae incidere non vitant, iustum valorem non agnoscere labori Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo et conclusionibus ad quas haec pervenit quoad Episcoporum Conferentiarum disciplinam. Codex, enim, est fructus experientiarum ac reflexionum protractarum fere per viginti annos post Concilium, quod tempus et modum non habuit ut multa problemata ad solutionem maturam perduceret. Codex est fructus laboris nonaginta trium Cardinalium et aliorum Episcoporum variarum Conferentiarum, membrorum Commissionis, peritorum consultorum centum octoginta quinque ab omnibus orbis terrarum partibus (cf. IOANNIS PAULUS II, Alloc. ad sodales consultores et officiales Pont.

verum est, ad Ecclesiae universae unitatem in fide et disciplina tuendam et ad responsabilitatem Episcoporum dioecesanorum in propria Ecclesia protegendam, Episcoporum Conferentiis nimis amplas potestates a iure tribui non posse et multo minus competentiam legislativam generalem, tamen, ex altera parte, non minus verum est, vi principii necessitudinis inter Ecclesias, aliquas competencias Episcoporum Conferentiis agnosci posse et debere, ad aptius reddendum

Commissionis CIC recognoscendo, 29 oct. 1981, in AAS 73, 1981, 722). Hic labor nisus est consultatione variorum organorum (Episcoporum Conferentiarum, singulorum Episcoporum, Romanae Curiae Dicasteriorum, Unionis Romanae Superiorum Generalium Institutorum vitae consecratae, Universitatum et Facultatum pontificalium) et examine Commissionis Plenariae, ab aliis Cardinalibus et Episcopis necnon presbyteris et laicis, viribus et mulieribus, peritis completatae, ita ut Plenaaria repraesentaret non tantum Episcopatum, sed, iuxta verba IOANNIS PAULI II, quodammodo universum Ecclesiae Corpus (cf. *ibid.*, 723; de labore revisionis Codicis, cf. F. D'OSTILIO, *È pronto il nuovo Codice di Diritto Canonico: iter revisionale e prossima promulgazione*, Città del Vaticano, 1982). Denique, Codex est fructus ultimi attenti examinis a supremo Legislatore, qui, cum Codicem promulgaret, doctrinam et disciplinam in eo contentas suas fecit. IOANNES PAULUS II in Const. Ap. «*Sacrae disciplinae leges*», qua Codicem promulgabat, declaravit: «*Codicem itaque hodie promulgantes, Nos plane conscii sumus hunc actum a Nostra quidem Pontificis auctoritate proficisci, ac proinde induere naturam "primatiale"*. Attamen pariter conscii sumus hunc Codicem, ad materiam quod attinet, in se referre collegialem sollicitudinem de Ecclesia omnium Nostrorum in Episcopatu Fratrum, quinimmo, quasi ex quadam similitudine ipsius Concilii, idem Codex habendus est veluti fructus "*collegialis operationis*", quae orta est ex expertorum hominum institutorumque viribus per universam Ecclesiam in unum coalescentibus» (AAS 75/II, 1983, X). Hoc impellebat IOANNEM PAULUM II ad affirmandum: «*Ultimo documento conciliare, il Codice sarà il primo a inserire tutto il Concilio in tutta la vita*» (Alloc. participantibus cursui introductionis ad

servitium populi Dei³⁰. Plures etenim quaestiones ad apostolatam et regimen ecclesiasticum spectantes hodie recte solvi nequeunt nisi in ambitu totius nationis vel alicuius territorii regionalis sive supranationalis sive infranationalis³¹. Saepe impossibile est magnis problematibus pastoralibus Ecclesiarum particularium accurrere nisi unitis viribus omnium Ecclesiarum eiusdem territorii, in quibus eadem problemata exsurgunt³². Hoc modo relatio inter Episcoporum Conferentiam et singulos Episcopos in principio subsidiaritatis nititur, ratione habita iustae autonomiae Episcoporum, quae cum Ecclesiarum particularium iusta autonomia ecclesiologice connectitur³³.

studium CIC apud Pont. Univ. Gregorianam, 9 dec. 1983, in *Communicationes* 15, 1983, 128). Etsi codificatio considerata non sit aliquid definitivum de variis institutis, tamen, sine minutione, magni aestimanda est ut terminus ad quem experientia atque studium pervenerunt et terminus a quo res altius perscrutentur.

³⁰ Cf. SYNODUM EXTR. EPISC. 1969, Relatio «*Pastor Aeternus*», II, in EV 3/1689-1690; Relatio «*Nunc nobis*», IV, *ibid.*, 1728; CONGR. PRO EPISC. Dir. past. «*Ecclesiae Imago*», n. 210, 22 febr. 1973, in EV 4/2311.

³¹ Cf. *ibid.*, n. 211, in EV 4/2313, ubi tamquam exempla feruntur praesertim problemata quae respiciunt instrumenta communicationis socialis, assistentiam socialem-caritativam, rationem studiorum pro clericis, actionem pastorem organicam, etc.

³² Cf. SYNODUM EXTR. EPISC. 1969, Relatio Doct. «*Nunc nobis*», II, in EV 3/1715.

³³ Hoc in casu principium subsidiaritatis plene aptari potest, in quantum agitur de relatione inter potestatem iuris ecclesiastici Episcoporum Conferentiae, et potestatem iuris divini Pastoris Ecclesiae particularis. Relatio est diversa ab ea quae statuitur inter potestates iuris divini, id est inter eam supremam Ecclesiae auctoritatis, Romani Pontificis et Episcoporum Collegii, et eam inferioris auctoritatis, Pastoris Ecclesiae particularis singillatim sumpti (cf. notam 13).

Exercitium coniunctum munerum quorundam pastoralium ab Episcopis in Conferentia, iuxta c. 447, in CD 37a et 38,1 nisum, explicatur:

— pro christifidelibus eius territorii, nationalis vel non;

— pro omnibus hominibus, quorum maius bonum Ecclesia provehit.

Episcoporum Conferentia hoc facit praesertim per apostolatus formas et rationes temporis et loci adiunctis apte accomodatas, ad normam iuris.

6. Exercitium munerum et potestatum

Episcopi in Conferentia congregati *munus* regendi et *munus* docendi coniunctim seu collegialiter semper exercent, tantum in aliquibus casibus *potestatem* regendi et *potestatem* docendi. Activitas, enim, Episcoporum Conferentiarum ad solum exercitium potestatis regendi et potestatis magisterii restringenda non est. Etsi Conferentia emanaret nullam legem, nullum decretum exsecutivum et nullam declarationem doctrinalem, qua auctoritas sua magisterialis obligans implicaretur sed adhortationes et indicationes pastorales tantum ferret, tamen Episcopi in ea congregati munus regendi et munus docendi collegialiter seu coniunctim exercerent. Munus Episcopale, enim, tamquam Episcopi configuratio Christi vitae et missioni, est realitas una, quae omnes adspetus actionis pastoralis complectitur; quod unum munus distinguitur in diversas functiones ut una missio ab Episcopo participata actuetur³⁴. Cum ipsum munus

³⁴ Cf. GIOVANNI PAOLO II, Lett. «*Novo incipiente*», 8 apr. 1979, in AAS 71 (1979) 397.

amplius quam potestas sit³⁵, exercitium muneris regendi et muneris docendi amplius est quam exercitium potestatis regendi et potestatis docendi, quae requiruntur tantum ad ponendos actus regiminis iuridice obligantes et actus magisterii authentici quibus christifideles religioso animi obsequio adhaerere tenentur, in quibus, igitur, Episcopi in Conferentia congregati suam auctoritatem regendi et docendi uti intendunt.

Episcopi in Conferentiis «*coniunctim*» agunt (CD 38,1; c. 447). Quia Patres in Concilio non concordabant de Episcoporum Conferentiarum fundamento theologico, adhibent adverbium «*coniunctim*» et non «*collegialiter*». In Concilio et Codice adverbium «*coniunctim*» bis habetur relate ad actionem ad bonum Ecclesiarum particularium provehendum (CD 38,1; 3b; cc. 447; 756 § 2). Ad indicandam actionem Episcoporum collegii qua talis quoad Ecclesiam universam, tum in Vaticano II tum in Codice, adverbium «*coniunctim*» numquam invenitur, sed adverbium «*collegialiter*» vel adiectivum «*collegialis*» (LG 22a.b; 23a.d; NEP 3; 4; CD 4; AG 6f; cc. 337 §§ 2-3; 341 § 2). Non est rectum affirmare «*coniunctim*» idem valere quam «*collegialiter*» et opinari licet Concilium consulto non uti «*collegialiter*» ne intelligatur in Conferentiis per partes haberi exercitium potestatis Collegii Episcopalis qua talis³⁶. Potestas, tum magisterii tum regiminis, quae ab Episcopis in Conferentiis,

³⁵ Quoad doctrinam conciliarem de hac quaestione, cf. meum librum «*Hierarchica communio*». *Significato della formula nella «Lumen Gentium»* (Coll. Analecta Gregoriana, n. 216), Roma 1980, 420-422.

³⁶ Cf. M. COSTALUNGA, «*De Episcoporum Conferentiis*», in «*Periodica*» 57 (1968) 235-238.

idem ac in Conciliis particularibus, coniunctim seu collegialiter exercetur, esse non potest potestas de qua in *LG* 22b (*NEP* 3) et in cc. 336, 749 § 2, 752, per partes exercitata. Potestas Collegii plena et suprema, qua talis, uti vidimus, ita una et unica est et, consentiente Capite, in Ecclesiam universam evercetur, duobus tantum modis iure statutis (*LG* 22b; c. 337)³⁷, ut dividi non possit. In Conferentiis ideo, habetur exercitium coniunctum seu collegiale potestatis, qua Episcopi tamquam pastores Ecclesiarum eis concreditarum gaudent, ita ut ad concretam actuationem deducant eorum ministerii dimensionem collegialem et eorum sollicitudinem pro Ecclesiis vicinioribus, ratione tum spatii tum culturae tum problematum pastoralium. Concilium in ambiguitatem incidere poterat, quia tractabat tantum de Episcoporum Collegio, et non, ex professo, etiam de personis iuridicis collegialibus qua talibus deque earum actione, de quibus nunc in cc. 115 § 2 et 119 (cc. 100 § 2 et 101 CIC 1917). Praeterea *NEP* 1 definiebat Episcoporum Collegium intelligendum non esse sensu *stricte iuridico* (sublineatio in textu), scilicet de coetu aequalium, qui potestatem suam praesidi suo demandaret, sed de coetu stabili, cuius structura et auctoritas ex revelatione deduci debent. Episcoporum Collegium, in actione sua collegiali, qua potestatem suam plenam et supremam in universam Ecclesiam exercet, ut iam diximus, tamquam unum agit, solummodo cum Caput suum

³⁷ Quoad magisterium infallibile, Collegium eum exercet etiam quando Episcopi per orbem dispersi, communionis nexum inter se et cum Petri successore servantes, una cum eodem Romano Pontifice authentice res fidei vel morum docentes, in unam sententiam tamquam definitive tenendam conveniunt (c. 749 § 2).

active et directe intervenit. Haec actio collegialis per partes dividi non potest, per actiones, scilicet, partiales aliquorum Episcoporum, qui, sine interventu directo Collegii Capitis, in bonum nonnullarum Ecclesiarum particularium actuant. Episcoporum Conferentia, igitur, est collegium ad normam c. 115 § 2, in quo dimensio collegialis ministerii episcopalis actuat, etiam coniunctim seu collegialiter exercendo potestatem regiminis ordinariam et propria necnon potestatem magisterii, quibus Episcopi vi officii Pastorum Ecclesiarum ei concreditarum gaudent.³⁸

³⁸ Cf. SYNODUM EXTR. EPISC. 1969, Relatio «*Pastor Aeternus*», I, ubi dicitur: «*Meminisse iuvat normam, quae a Concilio Vaticano II, in Decreto "Christus Dominus" enuntiata est, n. 8, sub littera a), quae vero in praxi ut valeat, non iam est confirmata: "Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in diocesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi". Episcopi igitur per se omnem potestatem possident, quam requirit exercitium eorum muneris pastoralis in dioecesibus ipsis concreditis, et ut iterum rem dicamus, si plerumque potestatem suam episcopalem exercent singuli pro dioecesi sibi commissa, in certis tamen casibus hanc eandem potestatem suam exercent aliqui Episcopi coniunctim pro diversis simul Ecclesiis particularibus*», in EV 3/1690. Simili modo Editoriale «*Conferenze Episcopali e corresponsabilità dei Vescovi*» in «*La Civiltà Cattolica*» 185/II, 1985, 420 dicebat: «*Quando i vescovi si raccolgono nella Conferenza non rappresentano il collegio dei vescovi e in questa sede possono esercitare solo la potestà che a ciascuno di loro compete in quanto capo e visibile fondamento di una Chiesa locale, mai quella potestà piena e suprema di cui sono rivestiti, in comunione col papa e sotto di lui, come collegio universale, nei confronti della Chiesa universale (cfr. «Lumen Gentium», n. 22b). Perciò le decisioni di una Conferenza episcopale non sono mai atti del collegio dei vescovi, ma risoluzioni o provvedimenti promananti dall'autorità dei vescovi componenti, i quali esercitano in forma collettiva la*

7. Exercitium potestatis regiminis

Can. 455 § 1, aliter ac CD 38,4, non agit de decisionibus in genere³⁹, sed determinat vim obligan-

potestà che ognuno ha ricevuto per la sua diocesi. Cf. etiam G. FELICIANI, *Le Conferenze...*, 451-452; 461-462.

Id quod hic affirmo quoad essentiam iam sustinebam in meo articulo «*De Episcoporum Conferentia deque exercitio potestatis magisterii*», in «*Periodica*» 76 (1987) 573-604, spec. 576-589, praesertim, in «*Responsio P.F.J. Urrutia animadversionibus*» (cf. *ibid.*, 637-649, spec. 640-642), ubi, in sincera et fraterna discussione cum F.J. URRUTIA (cf. «*De exercitio muneris docendi a Conferentia Episcoporum. Impugnatio sententiae praecedentis*», *Ibid.*, 605-636), non tantum lumen afferebam aliquibus conceptibus in articulo iam affirmatis, sed etiam aliqua explanabam implicite in articulo contenta. Mihi videtur nonnullos auctores qui articulum meum critice iudicaverunt (cf. A. ANTON, *Conferencias Episcopales...* (supra nt. 11) 262; 289-290; 310; 326, nota 56; 331; 332, nota 70; 338, nota 88; 342; 351; 355; 361; 363; 368; J. MANZANARES, «La auctoridad doctrinal de las Conferencias Episcopales» in AA.VV., «*Naturaleza y futuro...*» (supra nt. 12) 293; 312; L. ORSY, «*Reflections on the Teaching Authority of the Episcopal Conferences*», in AA.VV., *Episcopal Conferences-Historical, Canonical and Theological Studies*, Washington 1989, 248-251), cum eum legissent sub perspectiva proprii modi ratiocinandi, omnia elementa subtiliora, meo iudicio momentosa, praesertim quoad relationem inter naturam Collegii Episcopalis quae talis et indolem collegialem Episcoporum Conferentiae, non semper consideravisse, neque rationem satis habuisse evolutionis mentis meae, saltem sub aliquibus respectibus, in mea responsione F.J. URRUTIA et coetibus studiorum (cf. «*Periodica*» 76 (1987), 651-667, spec. 654-655; 659-661) in XXII Colloquio Brixienensi (iun. 1987), in quo discussio habita est.

³⁹ Inter decisiones de quibus in CD 38,4 viderentur comprehendendi etiam declarationes doctrinales. Etenim, brevitatis causa, ut Relator declarabat (cf. *Acta Synodalia...*, III/VI, 204), textus definitivus elenchum materiarum non praebet, qui inveniebatur in tertio schemate Decreti *De Episcopis et de dioecesis regimine*. Casus a schemate praevisi erant: «a) quando agatur de peculiari- bus rebus quae sive iure communi sive speciali Apostolicae Sedis

di obtinere sola decreta generalia legislativa (cc. 29; 30) vel exsecutoria (cc. 31-33)⁴⁰ in causis iure universalis (non particulari) praescriptis aut peculiari Apostolicae Sedis mandato statutis. Decreta generalia, prolata ad validitatem per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum, qui voto deliberativo fruentes ad Conferentiam pertinent, ut vim obligandi obtineant, ante legitimam promulgationem, ab Apostolica Sede recognosci debent (c. 455 § 2). Sine *recognitione* decreta sunt inefficacia; obtenta recognitione, auctoritate Conferentiae legitime promulgari possunt⁴¹.

mandato nationali Episcoporum Conferentiae pertractandae ac resolvendae commissae fuerint; b) quando agatur de declarationibus maioris momenti publicae faciendis nomine Nationalis Episcoporum Conferentiae; c) quando agatur de rebus cum Gubernio civili tractandis, quae totam attingant nationem; d) quando gravitas rei exigat communem omnium Episcoporum agendi rationem simulque duae saltem ex tribus partibus Praesulum cum voto deliberativo adstantium iudicant decisionem ipsam esse vi iuridica pro omnibus communiendam» (cf. *Acta Synodalia...*, II/IV, 373-374).

⁴⁰ Cf. PONT. COMM. INT. AUT. CIC, Responsum 1 aug. 1985, in AAS 77 (1985) 771.

⁴¹ Consectaria recognitionis decretorum generalium Episcoporum Conferentiarum differunt ab eis recognitionis decretorum Conciliorum particularium. Hoc congruit cum differenti natura Conferentiarum et Conciliorum. Episcoporum Conferentia, ut institutum collegiale permanens et ordinarium, competentiam legislativam generalem non habet, dum Concilium particulare, quod est organum collegiale extraordinarium et sollemne, competentia generali gaudet (c. 445). Congruenter cum natura Concilii particularis, c. 446, aliter ac c. 455 § 2 non statuit decreta sine recognitione S. Sedis vim obligandi non obtinere. Recognitio profecto ad validitatem a c. 446 non requiritur, ne quidem ipsa natura rei. Iuxta c. 10 affirmari potest si decreta alicuius Concilii particularis sine recognitione S. Sedis promulgarentur, esse illicita, at, aliter ac decreta Episcoporum Conferentiae, non invalida.

In decretis generalibus ferendis Episcoporum Conferentia exercet potestatem legislativam vel executivam, ordinariam et propriam⁴². Est ordinaria et

Tamen, si oboedientia decretis sine Apostolicae Sedis recognitione promulgatis, negatio hierarchicae communionis esset, decreta non obligarent.

Dir. past. «*Ecclesiae imago*», in n. 212a affirmabat: «*Decisiones, a Conferentia legitime latae et ab Apostolica Sede recognitas, tanquam vim legis a suprema Ecclesiae auctoritate habentes (cf. CD 38,4), fidei obsequio Episcopus accipit et executioni mandat...*» (cf. EV 4/2316). Imprimis animadvertendum est Directorem decisiones de quibus in CD 38,4 ad leges restringere, excludere igitur declarationes doctrinales; praeterea clare non patet utrum vis legis decisionum ex recognitione S. Sedis fluere an ex delegatione a iure vel mandato supremae auctoritatis. Nonnulli auctores hanc alteram rerum visionem sustinent (cf. J.P. GREEN, *Conferences of Bishops and exercise of the «munus docendi» of the Church*, Romae 1987, 83-93), ad quam aliquo modo inclinabam in meo articulo «*De Episcoporum Conferentiis*»... (supra nt. 38) 594-595.

⁴² Cf. M. COSTALUNGA, *art. cit.* (supra nt. 36), 241-243. Quod potestas in Episcoporum Conferentiis exercitata est ordinaria et propria non spectat ad quaestionem de origine potestatis regiminis et magisterii in Ecclesia, via sacramentali an hierarchia (cf. J. MANZANARES, «*La autoridad doctrinal*»... [supra nt. 12] 294). Hoc demonstratur eo quod, etsi sustineatur origo sacramentalis potestatis regiminis, negari potest omne exercitium potestatis magisterii ab Episcoporum Conferentiis (cf. «*Draft Statement on Episcopal Conferences*», II, 1; III, 1; IV, 3, in «*Origins*» 17 [1988] 733; 735) vel eam affirmari potest eodem pacto ut agnitio vel non exercitii huius potestatis omnino pendeat ex origine sacramentali vel non potestatis in Ecclesia. Hic modus ratiocinandi invenitur in A. ANTON, *Conferencias Episcopales*... (supra nt. 11) (cf. 261-262; 326, nota 56; 332, nota 70; 354; 356; 363; cf. etiam articulum eiusdem auctoris «*El estatuto teológico de las Conferencias Episcopales*», in «*Naturaleza y futuro...*» (supra nt. 12) 253, nota 44), qui sub hac persepctiva meum articulum «*De Episcoporum Conferentia...*» legit. In hoc articulo semel allusionem facio quaestioni transmissionis potestatis magisterii per missionem canonicam, sed allusio non est argumentatio ad negandum exercitium coniunctum

propria etiam potestas executiva ab Episcoporum Conferentia exercitata in ferendis decretis singularibus ad normam c. 119. In casibus, e contra, iure universali non praescriptis, cum mandatum speciale

seu collegiale potestatis ab Episcoporum Conferentia (p. 599); praeterea in «*Dialogus*» expressis verbis affirmabam: «*Nostrum problema qua tale manebit si retineatur tam potestatem magisterii per consecrationem conferri quam per missionem canonicam. Facile sustineri potest Conferentiam Episcopalem qua talem esse subiectum potestatis authentice docendi si admittatur a Suprema Auctoritate per missionem canonicam eam transmitti ad peculiare munus explendum pro variis Ecclesiis particularibus. Hoc in casu non haberetur nec delegatio nec demandatio, quia non agitur de potestate regiminis, sed de transmissione potestatis per collationem officii*» (p. 655).

Denique animadvertendum est definitionem potestatis regiminis ut ordinariae et propriae non haberi in relatione ad originem sacramentalem potestatis, ut sustinet A. ANTON (cf. «*El estatuto teológico...*» 253-254; «*Conferencias Episcopales...*», 395-396), sed ad officium, id est potestas ipsi officio missione canonica collato adnectitur, et ita adnectitur ut autonome exerceatur, nomine scilicet proprio et non alterius (c. 131 §§ 1-2). Si alia significatio tribuitur LG 27a, CD 8a et c. 381 § 1 textus coartantur; Concilium noluit dirimere quaestionem de origine potestatis regiminis et magisterii Episcoporum et certo certius Codex hoc non fecit (cf. librum meum *Hierarchica communio...* (supra nt. 35) 416ss., praes. 418-419, nota 17; et meum articulum «*De natura, origine et exercitio potestatis regiminis iuxta novum Codicem*», in «*Periodica*» 74, 1985, 109-164; J. BEYER, «*"Hierarchica communio". Una chiave dell'ecclesiologia della "Lumen Gentium"*», in «*La Civiltà Cattolica*, 132/II (1982) 464-473; ID., «*De natura potestatis regiminis seu iurisdictionis recte in Codice renovato enuntianda*», in «*Periodica*» 71 (1982) 93-145; A. CELEGHIN, *Origine e natura della potestà sacra - Posizioni postconciliari*, Brixiae 1987; STICKLER A.M., «*De potestatis sacrae natura et origine*», in «*Periodica*» 71 (1982) 65-91; ID., «*La "potestas regiminis": visione teologica*», in AA.VV., «*Il Nuovo Codice di Diritto canonico. Novità, motivazione e significato*», Roma 1983, 63-74).

Sedis Apostolicae exigatur, sive motu proprio datum sive ad petitionem ipsius Conferentiae, agitur de exercitio coniuncto seu collegiale potestatis a S. Sede delegatae⁴³. Quia in omnibus casibus agitur de exercitio coniuncto seu collegiali potestatis particularis Episcoporum in coetum constitutorum, tale exercitium tantum ad conventum plenarium Conferentiae spectat et aliis organis delegatio excluditur⁴⁴.

Praeter c. 455 § 1 Conferentia potestate non gaudet decreta generalia ferendi, ideoque Episcopi iuridice non tenentur aliis decisionibus in conventu plenario captis: integra manet competentia singulorum Episcoporum dioecesanorum (c. 455 § 4). Tamen, etiam his in casibus, ratio habenda est adhortationis Dir. past. «*Ecclesiae imago*», in n. 212 contenta:

«*Episcopus pro regula suas faciat (ceteras decisiones vim iuridice obligandi non habentes), intuitu unitatis et caritatis erga confratres, nisi graves obstant rationes, quas ipse in Domino perpenderit*»⁴⁵.

Regula modi agendi singuli Episcopi manet communio cum aliis fratribus in Episcopatu.

Praeterea, ratione habita principii «*quod omnes uti singulos tangit, ab omnibus approbari debet*» (c. 119, 3^o), neque Conferentia qua talis neque eiusdem praeses nomine omnium Episcoporum agere valent, nisi omnes et singuli Episcopi consensum dederint (c.

⁴³ Cf. R. SOBANSKI, «*La teología y el estatuto jurídico de las Conferencias Episcopales en el Concilio Vaticano II*», in «*Naturaliza y futuro*»... (supra nt. 12) 121.

⁴⁴ Cf. PONT. COMM. CONC. DECR. INT., Responsa 28 iul. 1968, in AAS 60 (1968) 361, et 31 ian. 1980, in AAS 72 (1980) 106.

⁴⁵ Cf. EV 4/2316.

455, § 4). Denique puto sustineri posse decisiones Conferentiae, quae vim obligandi per se non habeat, ad S. Sedem missas et ab ipsa approbatas, non tantum recognitas, auctoritate S. Sedis, non autem Conferentiae, vim obligandi obtinere⁴⁶.

8. Exercitium potestatis magisterii authenticici

Uti iam vidimus⁴⁷ in CD 38,1 agebatur de decisionibus in genere, in quibus etiam declarationes doctrinales probabiliter comprehendebantur⁴⁸. Quae decisiones doctrinales, ut vim obligandi haberent, stare debebant condicionibus CD 38,4 positiss, quoad approbationem in conventu plenario et recognitionem S. Sedis.

In c. 455 § 1, ut iam videbatur esse in Dir. past. «*Ecclesiae imago*»⁴⁹, ita restringitur ambitus decisionum vim obligandi habentium relate ad CD 38,4, ut declarationes doctrinales sub disciplina c. 455 § 2 non sint. Nonnulli auctores, cum non admittant Conferentiam qua talem potestate magisterii gaudere, sub § 4 eiusdem canonis declarationes doctrinales comprehendunt⁵⁰. Tamen si admittatur dimensionem

⁴⁶ Cf. P. KRÄMER, «*Las Conferencias Episcopales y la Santa Sede*», in AA.VV., «*Naturaleza y futuro*»... (supra nt. 12) 180-181.

⁴⁷ Cf. notam 39.

⁴⁸ Cf. textum emendatum schematis «*De Episcopis et de dioecesis regimine*» (anno 1964), notam 37 (in initio), in *Acta Synodalia*... IV/II, 604.

⁴⁹ Cf. notam 41.

⁵⁰ P. KRÄMER, *Las Conferencias Episcopales*... (supra nt. 12) 171, notam 11. Congregatio pro doctrina fidei in sua recenti instructione diei 24 maii 1990, de theologorum vocatione ecclesiali (n. 19) textum LG 23d citat et remittit ad Relationem finalem Synodi extr. Episc. 1985, ubi dicitur: «optatur studium earum

collegialem ministerii episcopalis ut Conferentiarum fundamentum ecclesiologicum, dicendum est in eis, iuxta c. 753, Episcopos in communione cum Collegii Capite et membris, coniunctim seu collegialiter exercere posse potestatem magisterii, quae ad suum ipsum officium pastorum Ecclesiarum eis concreditarum spectat, ideoque esse fidei doctores et magistros christifidelium suae curae commissorum, qui authentico magisterio suorum Episcoporum religioso animi obsequio adhaerere tenentur.

Mirum est exercitium potestatis sive legislativae sive executivae Episcoporum Conferentiae condicionibus in c. 455 § 1 statutis valde limitari, exercitium vero potestatis magisterii authentici generali limiti subici quod Episcopi esse debent «*in communione cum Collegii capite et membris*» (c. 753)⁵¹. Praeterea, Episcoporum Conferentiae declarationes doctrinales, quae maiorem influxum habere possunt in vitam non solum Ecclesiarum particularium pro quibus latae sunt, sed etiam in vitam universae Ecclesiae, recognitioni S. Sedis non subiciuntur, dum recognitio requiritur pro decretis generalibus, quae feruntur de materiis saepe non magni momenti. Hoc admirationem causat quia: a) omnia decreta emanata a Collegio, quod iure divino est subiectum potestatis plenae et supremae in Ecclesiam universam, ut vim obligandi habeant a Romano Pontifice approbari debent, ab eodem con-

(Conferentiarum) status theologici, ut praesertim quaestio de earum auctoritate doctrinali clarius et profundius explicetur, prae oculis habitis illis quae in Concilio in Decreto «Christus Dominus» n. 38 et in Codice iuris canonici can. 447 et 773 habentur» (II.c.8b).

⁵¹ Formula accuratior, cohaerens cum aliis textibus Concilii (LG 21b; 22a; CD 4; 5), esset «in hierarchica communione» quam illa in c. 753 «*in communione*» adhibita.

firmari et eius iussu promulgari (c. 341); b) omnes decisiones a Synodo Episcoporum prolatae vi potestatis deliberativae qua Romanus Pontifex eandem instruxerit, ab eo ratae haberi debent (c. 343); c) omnia decreta Conciliorum particularium, etiam provinciarum, a S. Sede recognosci debent (c. 446). Can. 456, cum statuatur ut absoluto conventu plenario Episcoporum Conferentiae eius decreta a praeside ad Apostolicam Sedem transmittantur ut ab eadem recognoscantur, videtur referri ad decreta generalia de quibus in c. 455 § 1. Obici poterit ipsa natura actorum Collegii quae talis vel Synodi Episcoporum postulare approbationem, confirmationem, promulgationem vel ratihabitionem; sed propter analogiam Concilia particularia inter et Episcoporum Conferentias iustificari non poterit differens disciplina de uno et altero instituto, ratione habita eius quod fundamentum sive historicum sive theologicum Conciliorum particularium clarius ac firmitus est.

Can. 753 affirmat Episcopos, in communione cum Collegii Capite et membris, in Episcoporum Conferentiis congregatos magisterium authenticum exercere. Ut *NEP* 2 affirmat, communicatio vagus quidam affectus non est, sed realitas organica, quae iuridicam formam exigit et simul caritate animatur. Aliter ac quoad actus magisterii totius Collegii et Episcoporum in Synodo vel in Conciliis particularibus congregatorum, quoad actus magisterii Episcoporum in Conferentiis congregatorum nulla forma iuridica communionis, ut recognitio, requiritur et statuitur⁵².

⁵² Quoad singulos Episcopos communicatio iuridice exprimitur missione canonica (*LG* 24b; *NEP* 2). Si Episcopus doctrinam catholicam non docet, Romanus Pontifex ei renuit seu denegat communionem apostolicam, sine qua Episcopus in officium assumi vel in eo manere nequit.

Etiam communio alicuius Episcoporum Conferentiae cum Collegii Capite et membris iuridice exprimi debet. Sub hoc respectu, meo iudicio, in Codice gravis lacuna habetur, quia exercitium potestatis magisterii authentici minime regulatur. CD 38,4 illud moderabatur, quia inter decisiones etiam declarationes doctrinales comprehendebat, dum c. 455 §§ 1-2 tantum decreta generalia legislativa et executiva regulat. Quare nonnulli auctores sustinent declarationes doctrinales comprehendendas esse inter decisiones non obligantes de quibus in § 4 eiusdem canonis. Hoc confirmaretur eo quod discussio in coetu Commissionis tantum de potestate legislativa fuit⁵³. Tamen, ratione habita c. 753, cum quo c. 756 § 2 connectitur, sustineri nequit declarationes doctrinales comprehendendi inter decisiones de quibus in c. 455 § 4, quia hic canon agit tantum de exercitio potestatis regiminis, legislativae vel administrativae.

Mihi videtur communicationem defuisse inter duos coetus cc. 447-459 et c. 753 elaborantes, ideoque de hoc puncto disciplinam conhaerentem deficere. Puto etiam declarationes doctrinales disciplinae simili illius in c. 455 § 2 statutae subici debere. Auspicatur, igitur, supremae auctoritatis interventio ad lacunam Codicis supplendam⁵⁴. Maior pars suffragiorum per duas saltem ex tribus partibus eorum qui ad Conferentiam cum voto deliberativo spectant, iam esset primus gradus internus comprobationis consensus de aliqua quaestione doctrinali. Sine hac comprobatione,

⁵³ Cf. *Communicationes* 14 (1982) 195-200; 17 (1985) 91.

⁵⁴ Lacuna completur, in c. 775 § 2 ubi requiritur Sedis Apostolicae approbatio, pro editione catechismi pro Conferentiae territorio, et in c. 838 § 3, qui statuit recognitionem S. Sedis versionum librorum liturgicorum in linguam vernaculam.

nisi aliud statuta declaraverint, fieri poterit ut declaratio doctrinalis ad normam c. 119, 2º approbetur a parte absolute maiori (ultra dimidiam partem) eorum qui sunt praesentes in conventu plenario, quae esse poterit pars minoris numeri omnium membrorum Conferentiae, sed omnes ad obsequium pariter obligaret⁵⁵.

Criterium actionis Episcoporum Conferentiarum est communio inter Episcopos et communio hierarchica. In Conferentia omnia membra testes sunt vinculorum apostolicae fidei Ecclesiae vinculorumque caritatis, quibus uniuntur non tantum inter se, sed cum universa communione ecclesiali, de qua Romanus Pontifex, Episcopus Romae, fidem praestat. In omni Ecclesiae actione synodali *consensus* participantium quaerendus est, quia consensus communionem manifestat. Ubi actio Spiritus impeditur, consensus non obtinetur et communio non actuatur. In organismo collegiali ecclesiali principium suffragationis deliberativae et maioritatis per eam obtentae simpliciter vigere non potest. In Ecclesia introduceretur principium parlamentarismi, quod in societatibus civilibus viget. Suffragatio significat quod constat de consensu aliquorum vel omnium membrorum alicuius organismi collegialis quoad peculiarem rem discussam⁵⁶. Ad

⁵⁵ Dari poterit casus in quo in conventu plenario haud multo plus quam dimidia pars membrorum Conferentiae aderint, ideoque declaratio doctrinalis approbari poterit tantum a parte absolute maiori praesentium, quae esset una ex quattuor partibus omnium membrorum Conferentiae tantum (ultra 25%).

⁵⁶ Sub hac perspectiva magni non interest utrum suffragium sit deliberativum an consultivum.

De consensu in structuris synodalibus Ecclesiae, cf. E. CORECCO, *Struttura sinodale o democrazia della Chiesa particolare?*, in AA.VV., *Miscelánea en honor de Juan Becerril y Antón Miralles*, Madrid 1974, 279-299.

consensum unanimem, qui communionem episcopalem plene exprimit, per oboedientiam verbo Dei et promptitudinem ad Spiritus actionem tendendum est. Quia veritas consensus inter omnia membra Episcoporum Conferentiae hierarchica communione cum Capite Collegii et membris manifestatur, consensus de quaestionibus doctrinalibus expressus a duabus saltem ex tribus partibus membrorum Conferentiae externam testificationem autenticitatis recognitione S. Sedis obtineret. S. Sedis recognitio testificaretur congruentiam magisterii expressi ab Episcopis in Conferentia congregatis cum magisterio universali Romani Pontificis et Collegii, necnon aliarum Episcoporum Conferentiarum. Declarationes alicuius Conferentiae incongruentes vel tantum minuentes magisterium universale, accipi non poterunt. Nunc magisterii universalis interventiones ita numerosas sunt ut difficile sit invenire aliquam rem de fide et moribus, de qua hoc magisterium iam locutum non sit, saltem per enunciationem principiorum generalium. Agnosci debet Conferentiarum magisterium potius consistere in aptandis sententiis generalibus magisterii universalis ad condiciones peculiares Ecclesiarum, quarum Episcopi in Conferentia congregatur⁵⁷. Cum hoc faciant, tamen, Conferentiae concursum ad consensum inter se monstrare debent, secus confusio fidelium, cum damno pro Ecclesiae vita, gigneretur. Hoc modo, praeter

⁵⁷ Mihi videtur non valere obiectionem quod Concilia particularia magisterium particulare exercuerunt ante magisterium universale, quia, cum Concilia particularia hoc faciebant, magisterium universale multo minus evolutum erat quam nostro tempore. Praeterea, statim ut fieri potuit, quaestiones doctrinales maximi momenti discussae et solutae sunt in Conciliis Oecumenicis. Simul cum hoc magisterio universali conciliari, magis magisque Romani Pontificis magisterium universale crevit.

necessariam communicationem inter Conferentias (c. 459 § 1), pateret sensus positivus recognitionis S. Sedis⁵⁸. Sicuti decreta generalia, ita declarationes doctrinales, a S. Sede recognitae Conferentiae auctoritate emanarentur, sed sine recognitione non obligarent. Quod statuitio generalis de necessitate recognitionis opportuna sit ut declarationes doctrinales ad animi religiosum obsequium obligarent (c. 753), aliquo modo confirmatur c. 838 § 3, qui requirit recognitione S. Sedis versionum librorum liturgicorum in linguas vernaculas et c. 775 § 2, qui statuit approbationem pro catechismo edito ab Episcoporum Conferentia.

Denique videtur oportere ut Conferentia ipsa in suis documentis doctrinalibus declaret quem gradum obligatorietatis eis conferre intendat, utrum scilicet Episcopi plenam suam auctoritatem magisterialem involvere velint, an tantum fideles adhortentur ut reflectio pastorum et fidelium suscitetur⁵⁹. Si Conferentia auctoritatem suam ita involvere intendit ut pastores ad eam spectantes et fideles eorum curae concrediti magisterium Conferentiae adhaereant, hoc esprimere deberet in ipso documento, meo iudicio, approbando iuxta easdem condiciones statutas in c. 455 § 2 pro decretis generalibus. Omnes aliae declara-

⁵⁸ Obici potest S. Sedis recognitionem esse impedimentum tempestivitati Episcoporum Conferentiae interventionis a circumstantiis requisitae. Tamen huic obiectioni responderi valet tempestivatem in quaestionibus doctrinalibus saepe ducere posse ad declarationes parum cogitatas propter defectum informationis et diligentis studii. Conferentia de aliquibus momentosis quaestionibus reflexionem opportune inire potest ad Concilia provincialia vel ad Concilium plenum indicenda.

⁵⁹ Cf. F.J. URRUTIA, «*Dialogus*»... 662-663.

tiones doctrinales pastores et fideles assensui non obligarent; quod non significat eas declarationes omni auctoritate destitutas esse, quatenus Episcopi etiam hoc in casu munus docendi coniunctim seu collegialiter exercent.

GIANFRANCO GHIRLANDA S.J.